



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Totius Tractatus De S. Matrimonij
Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv**

Sánchez, Tomás

Coloniæ Agrippinæ, 1624

M.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41559

Maleficium.

1. **I**mpotentia ex maleficio perpetuo cōsurgens, dirimit subsequens matrimonium. Censetur autem perpetuum, quando auferri non potest, nisi per aliud maleficium, vel per miraculum. Secus dicendum, si possit auferri per exorcismos Ecclesiæ, vel per industriam auctoris eiusdem maleficij, modo licito. Et quando constare nequit an sit maleficium temporale, an perpetuum, præsumitur perpetuum, ac dissoluetur matrimonium, quando triennio coniuges operam dedere carnali copulæ, nec perficere potuerunt, *lib. 7. disp. 94. à nu. 7. vlt. que ad 12.*

2. Potentia coeundi respectu hominis, potest impediri maleficijs quinque modis. 1. est corpora impediendo, ne sibi mutuò appropinquent, aut secernendo ea directè, vel interdite interponendo. 2. est, ita inflammando ad actum, vt antea fundatur semen, vel refrigerando ab actu illo. 3. turbando imaginationem & æstimationem, qua reddit mulierem viro exosam, quando veneri vacare volunt. 4. prohibendo rigorem membri, reddita viri virga flaccida, saltem quando coire vult. 5. prohibendo immisionem spirituum ad membra, quasi intercludendo vias feminis, ne descendat, vel semen subtrahendo, vel obserando, aut nimium arctando vas muliebri, aut viri genitalia abscondendo, retrahendo, vel re vera adimendo;

licet:

licet rariùs accidat, *l. 7. disp. 94. nu. 1. & 2.*

3 Maleficiùm etiam contingit mulieribus, sed rarò. Fœmina autem communiter maleficatur per solam opinionem, seu phantasiæ læsionem, vel arctando vas fœmineum, *li. 7. disp. 94. nu. 3.*

4 Maleficiùm rarò impedit potentiam omnium, communiter tamen respectu vnius, vel alterius personæ, *lib. 7. disp. 94. nu. 4.*

5 Signa frigiditatis sunt habere modicum membrum, & quasi ad nihilum redactũ, malè compositum, & corrugatum; & calore debito degenerans, vel nunquam virgam erigere, vel non appetere venerea, nec stimulos carnis sentire. Signam verò maleficij est, quando coitum quis appetit, & virgam erigit, ita vt ad copulam aptus sit, & cum ad vas fœmineum appropinquat, relaxantur subitò organa, nec potest complere, atque iterum rigent, & si iterum copulari nitatur, deuidè laxantur, *l. 7. disp. 94. nu. 5. & 6.* Item signum maleficij vniuersalis respectu omnium est, quando plurimas fœminas maleficiatus tentauit cognoscere, & nullam potuit, cum tamen eum non esse frigidum constet, *lib. 7. disp. 99. nu. 24.*

6 Procurans maleficiũ illius, cum quo postea matrimonium inicit, potest petere ratione illius dissolutionem matrimonij, *li. 7. disp. 94. nu. 13.*

7 Maleficiùm maleficio tollere ob nullum finem licet, nec rebus vanis, nec superstitionis,

protestatione præmissa non utendi illis tanquam vanis; media autem licita, per quæ maleficium aufertur, sunt ea, quæ Ecclesia ordinavit, ut exorcismi, opera pœnitentiæ, sacramentorum receptio ad placandum Deum, *lib. 7. disp. 95. à nu. 1. vsque ad 5.*

8 Nullo modo licet petere à malefico parato solutionem maleficij maleficio; secus dicendum, quando maleficus plura media nosset, quædam licita, alia verò illicita. Et quando sit dubium, an maleficus sciat aliquod medium licitum, tunc nunquam, licet, *l. 7. disp. 95. à nu. 6. vsque ad 14.*

9 Licitum est destruere signum maleficij animo destruendi pacti cum Dæmone initi, & obtinendæ sanitatis. Imò potest interrogare alium maleficum, an norit, in quo tale maleficium consistat, ut signum destruat. Quòd si ille ignoret, minime potest induci, ut per suam artem id inuestiget. Tamen si id didicerit à Dæmone, fas est ea scientia uti, *lib. 7. tota disp. 96.*

Maritus.

1 Maritus potest vindicare vxorem ab alio detentam, adiecta causa iuris canonici, & diuini, *lib. 9. disp. 4. nu. 9.*

2 Maritus cognoscens vxorem suam inuitam post mutuū castitatis votum, peccat contra iustitiam, *l. 9. disp. 40. n. 20.*

3 Maritus adulter perdit donationem propter nuptias, *lib. 10. disp. 8. nu. 11. & 12.*

4 Mari-

4 Maritus propriâ authoritate adulteros in delicto repertos enecans, licet sit iudex, admittit culpam lethalem homicidij contra iustitiam, & tenetur restituere damna instar aliorum homicidarum. Secus dicendum, si interficiat illos sententia iudicis sibi traditos, vt eos, si velit, necet, si non liuore vindictæ, sed iustitiæ zelo id efficiat. Quod idem dicendū, licet ille sit etiam adulter, *lib. 10. disp. 8. à nu. 35. vsque ad 44.*

5 Maritus potest, renitente vxore, se vendere, peccabit tamen mortaliter, si fiat venditio sine iusta causa, non tamen contra iustitiã, sed, erit iusta causa, si vxor possit eum facile sequi. Vxor tamen vendens se sine consensu mariti, peccat mortaliter contra iustitiam, *l. 7. tota disp. 23.*

6 Maritus potest licitè simul cum vxore esse pater in Baptismo, vel Confirmatione, *l. 7. disp. 57. nu. 5.*

7 Maritus non potest mutare habitum sine licentia vxoris, nec vxor sine licentia mariti, v.g. induere habitum beatarum, vel heremitarum, *l. 9. disp. 3. nu. 9.*

Matrimonium.

1 Matrimonium solet nuncupari sic, quia mulier nubit, vt mater efficiatur. Item vocantur nuptiæ, & connubium ab obnubendo, seu velando, quia quasi nube obtegatur virgo velamine quodam, dum benedicitur. Tandem appellatur coniugium ab effectu, eo quod

duos, ut una caro efficiantur, coniungit, *lib. 1. in proœmio, nu. 4.*

2. Murus simul, ac surdus à natura, si intellectum perspicacem habeat, ita ut signis edoceri possit, quid sit matrimonium, & signis indicare consensum, validè contrahit sponsalia, & matrimonium. Secus si simul sit cæcus, etiam casu, nisi antequam in hæc incideret, nosset, quid esset matrimonium, *lib. 1. disput. 8. nu. 11. & 13.*

3. Contrahens matrimonium fictè, peccat mortaliter, nisi ex urgente causa, ut gratia vitandi magni scandali, id faceret. Matrimonium tamen contractum post illud fictum, est validum, *lib. 1. disp. 11. nu. 1. & 2.*

4. Contrahens matrimonium fictè, tenetur verè contrahere, quando sequitur notabile damnum fœminæ, quamvis non sit virgo, & quamvis fictè contrahens copulam non habuerit. Secus quando contrahentes sunt disparis conditionis: vel quando timentur pessimi exitus probabiliter. Attamen quoties fictè contrahens tenetur iure contrahere, non est absolvendus, donec verè contrahat, quamvis se contracturum proponat, *lib. 1. disp. 11. à n. 3. vsq. ad 11.*

5. Matrimonium impuberum, vel puberis cum impubere, habet vim sponsalium etiam post Conc. Trid. Nō tamen sunt sponsalia verè, & simpliciter, sed iuris interpretatione, *lib. 1. tota disp. 21.*

6 Matrimonium est coniunctio maritalis viri & foemine inter legitimas personas indiuiduae vitae consuetudinem retinens, *l. 2. disp. 1. nu. 1.*

7 In matrimonio septem inveniuntur, scilicet mutuus consensus, externus contractus, mutua corporum traditio, quoddam vinculum ortum ex illo contractu, mutua obligatio ad reddendum debitum: ius quod est in utroque ad alterum, usus, & consummatio matrimonij. Sed essentia matrimonij solum consistit in vinculo illo, quo formaliter coniuges sunt uniti, quod oritur ex mutua traditione, & est realis fundata in actione externa reali, scilicet contractu, *l. 2. disp. 1. nu. 2. 6. & 7.*

8 Matrimonium dicitur (coniunctio) ut explicetur essentia (maritalis) ut explicetur fundamentum (inter legitimas personas) hoc est, non habentes impedimentum dirimens (indiuiduam vitae consuetudinem retinens) ad explicandum, quod non est solubile, sicut alij contractus, qui communi consensu tolluntur, *lib. 2. disp. 1. nu. 8.*

9 Matrimonium diuiditur in legitimum, ratum, & consummatum. Legitimum est, quod contrahitur inter infideles. Ratum, quando est sacramentum nondum consummatum. Et sic matrimonium infidelium dicitur legitimum, sed non ratum. Consummatum dicitur, quando est iam copula carnali perfectum, *lib. 2. disp. 1. num. 9.*

10 Matrimonium non est naturale homini, quasi

quasi ex proprijs naturæ proueniens, ut mo-
ueri sursum est naturale igni; est tamen natu-
rale ex naturali inclinatione proueniens, &
matrimonium ideo est insolubile, quia si li-
bera esset coniunctio, & vagus concubitus,
esset incerta proles, & ex incertitudine repe-
ceret amor, & educationis cura. Et ideo va-
gus concubitus est peccatum mortale: quia
contrariatur debitæ propagationi naturæ hu-
manæ, *lib. 2. tota disp. 2.*

11 Præceptum matrimonij, dum genus hu-
manum paucis continebatur, obligabat sin-
gulos: nunc autem minimè. Tamen nunquam
cessare potest in communi: secùs in particu-
lari, ut videmus, & pereuntibus omnibus, ex-
ceptis monachis, monachi tenerentur matri-
monium contrahere. Et nunc potest esse ca-
sus, in quo aliquis teneatur sub mortali matri-
monium inire, v. g. ad sedandas seditiones, ut
si sit filius Regis, *lib. 2. tota disp. 3.*

12 Matrimonium ante lapsum Adami fuit
institutum à Deo in officium naturæ, ac præ-
ceptum in illis verbis Genes. (Crescite & mul-
tiplicamini:) post verò institutum fuit in re-
medium concupiscentiæ: at in lege noua, ut
sit sacramentum, in illis verbis (quos Deus cõ-
iunxit, homo non separet) fuit tamen appro-
batum Ioa. 2. quando Christus interfuit nup-
tjjs, *lib. 2. tota disp. 4.*

13 Verba seu ligna, quibus consensus expri-
mitur, sunt sibi inuicem materia, & forma, se-
cun-

cundum diuersas rationes, id est, in quantum determinatur, sunt materia: in quantum vero determinant, sunt forma. Et matrimonium non tantum, dum est in fieri, sed dum est in facto esse, est sacramentum, vt Eucharistia. Et tunc eius materia sunt ipsi contrahentes, *lib. 2. tota disp. 5.*

14 Parochus nunquam fuit minister sacramenti matrimonij, nec est post Trid. sed ipsi contrahentes sunt ministri conficientes sacramentum matrimonij. Et tamen affecti peccato mortali non peccant c^o ratione, qua ministrant. Et idem dicendum de sacerdote assistente, aut benedicente nuptias, *lib. 2. tota disputat. 6.*

15 Matrimonium in lege naturæ, & veteri non fuit sacramentum, nec gratiam conferebat, sed fuit contractus naturalis. Potest tamen dici, quod fuit sacramentum largè, & improprie. Et licet non conferebat gratiam gratum facientem, potest dici contulisse aliquod genus gratiæ, dum erat licitus ille actus conjugalis, *l. 2. tota disp. 8.*

16 Matrimonium infidelium nunc, vel fidelis cum catechumena ex Pontificia dispensatione contractum, non est sacramentum, *l. 2. tota disp. 8.*

17 Quando infideles conuertuntur, non opus est, vt iterum coram parochio, & testib. contrahant secundum Trident. *Sess. 24. cap. 1.* Tamen possunt, sed non tenentur recipere bene-

benedictiones, & quando ambo baptizantur, efficitur statim sacramentum, sine consensu aliquo nouo, *lib. 2. tota disp. 9.*

28 Matrimonium fidelium in noua lege est verè, ac propriè sacramentum gratiam conferens, *lib. 2. disp. 10. num. 2.* Vtrum autem sit vnicum sacramentum? Affirmat Doctor, *ibid. numer. 5.*

19 Actus contrahentium sunt sacramentum tantum. Effectus sacramenti est res tantum. Et vinculum, quo coniuges perseverant, dicitur res & sacramentum simul, *lib. 2. disp. 10. num. 3.*

20 Gratia sacramentalis sacramenti matrimonij habet duplicem effectum. Alter est concupiscentiam reprimere: alter verò est efficere, vt coniuges fideliter sibi assistant, operas suas communicent, ac prolem religiosè educant, *l. 2. disp. 10. nu. 4.*

21 Contrahentes matrimonium intentione faciendi contractum, & non sacramentum, contrahunt verè, & validè, licet intentio procedat ex errore, si habeant intentionem faciendi, quòd faciunt fideles. Secus si habent intentionem faciendi, quod in ipsis est, v. g. habentes veram intentionem contrahendi merum contractum, tunc enim nihil validè fit, *l. 2. disp. 10. num. 6.*

22 Matrimonium contractum per procuratorem fuit validum ante Conc. Trid. & nunc post illud seruata eius forma, & est sacramentum

tum conferens gratiam. Sed procurator nec minister est, nec in ipso recipitur sacramentum nec verba ipsius sunt materia, nec forma sacramenti. Et sic optimè faciunt contrahentes per procuratorem, si postea iterum ineamt matrimonium ad tollendos scrupulos, *l. 2. disp. 11. à nu. 20. vsq. ad 32.*

23 Quatuor requiruntur, ut procurator validum ineamt matrimonium, v. g. ut habeat speciale mandatum ad matrim. contrahendum cum certa persona, saltem ore tenus expressum, vel per literas, & quod per se ipsum exequatur mandatum, nisi aliud expresse contineatur, & quòd tempore, quo procurator contrahit, potestas non sit reuocata, licet reuocatio sit merè interna, vel tacita, & non intimata procuratori, & licet intercedat iuramentum de non reuocando, *l. 2. disp. 11. à nu. 3. vsq. ad 10.*

24 Si ille, qui misit procuratorem, nec consentit, nec dissentit, sed occupatur in alijs, validè contrahit matrimonium. Idem dicendum, si in amentiam incidat. Et si prius finxit animum, postea tempore contractus habuit verum animum contrahendi. Item potest talis procurator constare sine scriptura. Et diuersitas sexuum non requiritur procuratoribus, *lib. 2. disp. 11. à nu. 11. vsq. ad 15.*

23 Verba quibus utitur procurator, sunt hæc, (talis consentit in te, vel accipit te in virum, vel uxorem, me mediante: vel accipio te in virum, vel in uxorem nomine talis personæ.)

Et si

Et si procurator fines mandati excedat, nullum facit matrimonium, ut de contrahendo certâ dote. Secus, si ponatur seruari formâ Trid. & omittat denuntiationes, siue cum dispensatione Ordinarij, siue sine illa, *l. 1. disp. 1. nu. 16. vsque ad 18.*

26 Matrimonium contractum per epistolam iure antiquo erat validum, & est modo post Concil. Trident. *Sess. 24. cap. 1. de Matrimonio.* Et est sacramentum, si alter consentiat, lectâ epistola, coram parcho & testibus, *lib. 2. tota disp. 12.*

27 Matrimonium ratum, & consummatum differunt quoad significationem. Et consummatum est saltem iure diuino indissolubile. Item matrimonium consummatum infidelium est indissolubile, nisi alter solus ad fidem conuertatur, quia tunc dissoluitur ex Christi dispensatione. Quæ omni moda indissolubilitas non competit matrimonio ex iure nature, nec ratione sacramenti, sed ex significatione, qua Christus euexit illud ad significandam unionem indissolubilem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam. Aliqualis tamen de natura matrim. Et ita competit etiam matrimonio rato de iure diuino, & naturali. Et sic omni moda inseparabilitas conuenit matrimonio consummato ex iure Christi diuino positiuo, posito in illis verbis Matth. 19. (quos Deus coniunxit, homo non separet,) *lib. 2. disp. 13. nu. 1. vsq. ad 8.*

28 Matrim-

28. Matrimonium infidelium dissoluitur per alterius conuersionem, Et ratum fidelium per professionem, ex Christi dispensatione, quæ dispensatio est matrimonio conformis, *lib. 2. disp. 13. nu. 9.*

29. Indissolubilitas matrimonij rati non omnino prouenit ex sua natura nudè sumpta, sed ex sua natura iuncta diuinæ constitutioni. Vnde mutuo consensu non potest dissolui, *lib. 2. disp. 13. nu. 10.*

30. Matrimonium ratum iure naturali, & diuino dirimit subsequens matrimonium consummatum, *lib. 2. disputat. 14. numer. 5. in fine.*

31. Vinculum matrimonij rati omnino dirimitur per solemnem religionis professionē alterius sponsi. Et per vota quarundam uiuentium in communi profitentium, quæ sunt veræ religiosæ. Et per professionem monialium, & clericorum militarium in clausura uiuentium, uel equitum ordinum militarium, qui sunt verè religiosi. Secus dic de uotis emissis à Beati Sancti Dominici, & tertij Ordinis D. Francisci, & de voto Coadiutorum formatorum Societatis Iesu, licèt factò publicè, & de voto uitæ eremiticæ, & de ascensu ad ordinem sacrum, uel Episcopatum. *lib. 2. disp. 18. à num. 3. usque ad 9.* Vtrum autem professio dirimat matrimonium ratum de iure diuino positum, affirmat Doctor, *lib. 2. disputat. 19. numer. 3.*

32 Matrimonium ratum dissoluitur, quando vterque communi consensu profiteretur, vel alter tantum, & manens in sæculo vouet continentiam, *lib. 2. tota disp. 20.*

33 Non consummatur matrimonium, nec oritur affinitas per semen non receptum in vase naturali, vel receptum arte, aut ministerio Dæmonum, absque vasis penetratione, nec per penetrationem vasis sine effusione seminis, nec per seminationem sponsæ, & non sponsi, nec etiam (vt probabile est) per seminationem sponsi, & non sponsæ, nec per copulã præcedentem matrimonium. Et vt consummetur, requiritur necessario, vt semen virile vas sponsæ subintret, *l. 2. d. 21. n. 1. 2. 5. 6. & 13.*

34 Vir deflorans fœminam dolosè, v. g. sine animo consummandi post matrimonium ratum sine seminis effusione, non potest ingredi religionem. Secus dicendum, si habebat animum consummandi, *lib. 2. disputat. 21. numer. 7.*

35 Matrimonium requirit mutuum consensum: & dicitur causa non tantum efficiens extrinseca, sed etiam formalis, si intelligatur vt matrimonium est sacramentum. Et si dicitur causa in quantum internus consensus est causa externi contractus matrimonij: & in quantum matrimonium est coniunctio maritalis, & in quantum exprimitur per verba, est causa efficiens, *l. 2. tota disp. 25.*

36 Matrimonium ex tribus bonis, quæ in
eo re-

eo reperiuntur, excusatur nempe ex bono fidei, prolis, & sacramenti, *l. 2. disp. 29. n. 2.*

37 Quamuis actus matrimonij de se sit licitus, affert secum tria detrimenta, quæ sunt. 1. Perpetua seruitus, quod compensatur bono sacramenti. 2. In ipso matrimonij actu voluptas tanta, ut mentem absorbeat, quod compensatur bono prolis: & licet non sequatur semper, saluatur in fine extrinseco. 3. Nimia sollicitudo placendi coniugi, quod compensatur bono fidei, id est, fidelitatis, quâ coniuges sibi mutuo obligantur ad reddendum debitum, & negandum alteri, *l. 2. disp. 29. nu. 4.*

38 Hæc bona non adueniunt matrimonio ab extrinseco, sed sunt de ratione matrimonij. Bideo non indiget illis quasi quibusdam externis equis ad illud honestandum, sed quasi causantibus in ipso intrinsecè honestatem. Et matrim. non irritatur ob quemcunq; peruersum finem, qui eius substantiæ, & trib. bonis dictis aduersetur. Tamen contrahens matrimonium debet saltem implicite intendere bonum sacramenti, sine quo non fit sacramentum nec matrimonium. Et licet omnia bona sint de eius essentia quoad obligationem, tamen quoad executionem minime, dempto bono sacramenti, *libr. 2. disputat. 29. à numer. 5. usque ad 12.*

39 Matrimonium fuit institutum primò in officium naturæ ad propagationem sobolis: secundo in remedium concupiscentiæ, & ad eui-
randam

tandam fornicationem. Et hoc est quatenus ordinatur ad copulam. Quatenus tamen est contractus alius finis est, ut traditio potestatis corporis alteri coniugi, & mutua animorum coniunctio. Et ultra hos potest contrahens intendere alios extraneos, ut pulchritudine, diuitias, & delectationem. Et hi aut considerantur ut causa principalis, aut ut causa secundaria, licet sit causa sine qua non, *lib. 2. disp. 29. num. 4. & 15.*

40 Licitè contrahit ille, qui non contrahit ratione copulæ, quamuis non intendat sobolem, nec remedium concupiscentiæ, ut contingit in matrimonio Beatæ Virginis, *l. 2. disp. 19. num. 20.*

41 Contrahere principaliter ob copulam, pulchritudinem, diuitias, & paces componendas, est peccatum veniale. Idem dicendum, quando attendit ad finem matrimonij principalem alium extraneum illi præferens. Idem dicendum de contrahente in ordine ad copulam, quando datur spes habendi prole. Nulla tamen erit culpa, quando fines eliguntur, non ut fines, sed ut ratio applicationis, ut sit communiter, vel quando aliquis contrahit in ordine ad copulam, quando non datur spes habendi prolem. Attamen contrahere ob finem venialem, est veniale, & ob finem mortalem, vel expressam conditionem excludendi fines matrimonij, est mortale, *l. 2. disput. 29. à numer. 21. vsque ad 29.*

42 Matrimonium inualidum ob aliquod impe-

impedimentum occultum, potest revalidari, si contrahentes renouent consensus, dum modo Parochus & testes ignorent illud, & periculum non sit, vt deregatur impedimentum, & probetur in foro exteriori. Idem dicendum de matrimonio nullo ob metum occultum, vel ob secretum occultam, & ab alio ignoratam, vel ob occultum ætatis defectum, licet hoc tale matrimonium sit malâ fide contractum, & non obstante clausula, quæ solet apponi in dispensationibus, v. g. (vt contrahant secundam formam Concil. Tridentin.) *lib. 2. tota disputat. 37.*

43 Coniux nullitatis matrimonii conscius ob impedimentum dirimens, siue diuino, siue humano iure; in nullo euentu potest reddere debitum coniugi ignorati, licet excommunicetur ab Ecclesia, vitæque periculum subeat, grauiissimaque sequantur scandala, *lib. 2. disp. 29. nu. 8.* Dum tamen compellitur, potest vti his quatuor remedijs. 1. In locum fugere, vbi scandalum cesserit. 2. Si matrimonium non est consummatum, petat dispensationem à Pontifice, vel ingrediatur religionem, sed non tenetur. 3. Vt coniux impedimenti conscius petat diuortium ob sæuitias, si fortè concurrant. 4. Quod possunt habitare tanquam fratres & cum animo nunquam reddendi debitum, & potest scæuina coacta pati concubitum, non se accommodando, quando nullo modo potest subreter fugere. Sed hoc nunquam licet,

O

nec

nec est consulendum, *lib. 2. disp. 39. à num. 15. usque ad 16.*

44 Consummare matrimonium, non premissis denuntiacionibus, vel iusta dispensatione omissis, vel absque illa, est mortale, non solum prima vice, sed toties, quoties habetur copula. Item peccant contrahentes differendo publicationem, & consummationem, *lib. 2. tota disp. 11.*

45 Consummare matrimonium ante benedictiones Ecclesie, nulla culpa est. Imò aliquando ellet consilium consummare ante illas, nisi adsit contemptus, vel scandalum, vel excommunicatio lata in aliqua diœcesi contra consummantes ante illas. Et esto sit peccatum veniale, non intelligitur, nisi tantum de i. *lib. 3. tota disp. 12.*

46 Matrimonium contractum dispensatione pro foro conscientie, est soluendum, si impedimentum delatum fuerit ad forum eternum, *lib. 3. disp. 15. nu. 17.*

47 Matrimonium contractum sine parochia in articulo mortis, nullo modo est validum, nec ex dispensatione Episcopi; nec sciet maiori viciniae parte, *li. 3. disp. 17. à nu. 3. usque ad 7.* Infideles tamen habitantes Christianorum loca, non tenentur contrahere coram parochia, & testibus, *ibid. nu. 8.* Fideles tamen contrahentes sine illo, ignorantibus inuincibiliter decretum Tridentinum, contrahunt inualide, *ibid. nu. 10.*

48 Matrimonium contractum ab incolis locorum, ubi Concilium non viget, nec fuit publicatum, est validum sine parcho, & testibus, *lib. 3. disp. 13. nu. 1.*

49 Ad valorem matrimonij requiritur proprius parochus, qui est alterius tantum. Et potest utriusque parochus, non solum in propria, sed in aliena parochia, vel diocesi eos matrimonio coniungere, *lib. 3. disputat. 19. nu. 2. 4. & 14.*

50 Matrimonia præsumpta cessant per Titid. *lib. 3. disp. 40. nu. 3.* Nec sponsalia per iuramentum celebrata coram parcho, & testibus sunt matrimonium, *ibid. nu. 5.* Nec per copulam occultam transeunt in matrimonium, *ibid. nu. 7.* Nec matrimonium impuberum, aut puberis cum impubere, contractum coram Parcho & testibus, transit in matrimoniū per copulam habitam legitima ætate, vel per consensum occultum, *ibid. à nu. 9. vsque ad 10.*

51 Contrahere matrimonium licitum est tempore feriæ, si absque magna solemnitate, & pompa fiat. Si tamen sit alicubi cōsuetudo, ut nullo modo celebretur, illi standum est, *lib. 7. disp. 7. nu. 12. & 13.* Tamen denuntiatioes tunc possunt fieri, *ibid. nu. 8.*

52 Iniens matrimonium scienter cum habente votum castitatis, religionis, assumendi ordines sacros, aut non ineundi matrimoniū, peccat mortaliter, *lib. 7. disp. 11. nu. 11.*

53 Matrimonium interdictum esse iure natura

turæ in aliquo gradu, & esse iure naturæ iuratum, non est idem, *lib. 7. disp. 15. nu. 3.*

54 Matrimonium Eunuchorum habentium vnum testiculum, validum est. Secus de carentibus vtroque, *lib. 7. disp. 92. à nu. 14. vsque ad 180.* Tamen factus eunuchus vtroque carens post matrimonium contractum, potest licet petere, & reddere, *lib. 7. disp. 102. nu. 7.*

55 Fidelis subditus infidelibus Principibus astringitur legibus eorum iustis irritantibus matrimonia in omnibus casibus, in quibus ad alias eorum leges tenetur, *lib. 7. disputat. 1. num. 7.*

56 Fidelis contrahens matrimonium apud infideles, ubi domicilium habet, cum impedimento aliquo dirimenti ab Ecclesia inducto non valet. Secus dicendum de infideli contrahenti extra patriam, in loco Principi Christiano, aut alij Principi infideli subiecto, cum impedimento dirimenti statuto à suo solum Principe, *lib. 7. disp. 3. num. 10.*

57 Indi noui orbis de priuilegio Pauli, possunt in tertio, & quarto gradu matrimonio coniungi, licet alter in secundo, vel in primo gradu distet, siue gradus sint cõsanguinitatis, siue affinitatis. Per Indos autem intelliguntur soli neophyti noui orbis, id est, omnium prouinciarum Indorum, *lib. 8. disputat. 24. num. 35.*

58 Indi neophyti sunt exempti in causis matrimonialibus ab ordine iudiciario seruando.

Et Re-

Et Religiosi, quorum cura commissæ est à suis prælatis habentes consensum Episcopi, possunt circa illos in omnibus causis matrimonialibus procedere in utroque foro, & non tenentur seruare ordinem iudicij, *lib. 10. disp. 19. nu. 1. & 2.*

59 Illud matrimonium dicitur indignum, ratione cuius filij priuari possunt alimentis, & dote, quod non potest fieri sine dedecore iuxta ciuitatis mores, tam generis corporalis, quam animi: v. g. si coniux sit meretrix. Item dicitur indignum ex bonæ fortunæ, nisi aliunde excessus compensetur. Item ratione alicuius impedimenti, *lib. 4. disput. 26. à num. 22. vsque ad 26.*

60 Requiritur duo testes cum Parocho, vt matrimonium valeat, rationis vsu habentes, præsentemque sint moraliter simul, & non successiue, licet non habeant condiciones requisitas in iure, & qualitates, & licet sint infames, excommunicati, parentes, consanguinei, serui, familiares, scæminæ infideles. Et lite agitata adhibetur fides similibus testibus, & sufficiunt testes non rogati, *lib. 3. disp. 41. à nu. 1. vsque ad 7.*

61 Præsentia parochi, & testium non sufficit corpora, vt valeat matrimonium, sed requiritur præsentia moralis & humana, qua parochus, & testes intelligant consensum vtriusque contrahentis, saltem percipiendo illum aliquo sensu, vt si non audiant verba, videant tamen

tamen signa mutui consensus, quamvis solum intelligant per interpretem, vt si contrahentes sint distincti idiomatis. Et in hoc casu credendum est solum interpretis dicto. Idem dicendum de presentia parochi & testium violenta, etiam cum dolo, vel alia ficta causa. Idem si celebratur matrimonium coram parcho & testibus casu transeuntibus, & videntibus. Secus dicendum, si parochus accessit cum animo attendendi, & postea tempore contractus vagatione mentis distrahatur. Tamen peccabit mortaliter contrahentes, si coram parcho inuito, aut dolo vocato contrahant: Idem si parochus casu transeat, vel dolo ad aliud vocatus accedat. Secus, si contrahant coram testibus vi detentis. Item valet matrimonium celebratum coram alieno sacerdote de licentia proprij, licet licentia sit extorta metu cadente in virum constantem: vel si impetrata fuit dolo, aut mendacis, alijs nullo modo concedenda, *lib. 3. tota disp. 39.*

Medicus.

1. Medicus licite potest applicare pragnanti, quando probabiliter creditur, fetum esse animatum, cum abortus periculo, medicinas quae sunt ordinatae per se, & directe ad morbos prauos, & humores expellendos, pristinaque salutem restituendam, vt est venarum ruptio ventris purgationi pharmaca deseruientia, balnea, &c. Non autem si fuerint directe ad occisionem tendentes, vt venenum, dilaceratio;

tio, percussio, &c. Itē licitum est applicare eas, licet æquè ordinentur ad matris salutem, ac ad fœtū nocendum, eiusque abortum. Idem, quando medicina est omninò dubia; quando salus infirmi omninò desperata est, & in nostro casu matris ac fœtus, perituri que sint, ac nullum appareat aliud auxilium. Et quòd dictum est de medico, dicendū de muliere prægnante sumente tales medicinas, quamvis illicite poterit ob prolis bonum abstinere à talibus medicinis, quò abortum vitet, bonoque prolis consulat. In vnico tamen casu peccarent lethaliter contra charitatem, & prægnans eas medicinas assumens, & medicus, ac obstetrix eas applicantes, nimirum, vbi spes probabilissima à peritis medicis conciperetur, fore vt matre ab ijs medicamentis abstinente, cum tamen vitæ propriæ periculo, fœtus in lucem prodiret, vt baptizari possit. Ea autē assumente periret fœtus Baptismate minimè recepto, l. 3. disp. 20. à nu. 13. vsque ad finem.

Melioratio.

1 Melioratio facta filio absq; aliqua causa, vel causa matrimonij incerti, potest reuocari. Secus, si facta sit cum tertio ex ea commodum reportanti. Nec potest reuocari, si filius melioratus causa matrimonij incerti inear pactū de matrimonio, & pater asserat, illum esse melioratum, vt fœmina ei nubat, vel ampliorem dorem constituat, sit irreuocabilis, licet filius reuertat. Nec potest filius consentire, vt

noua conditio apponatur, nec remittere promissionem de non meliorando factam, ut certum matrimonium inear. Nec profunt Antapochæ, vulgò (cōtrascripturæ) quibus filij pollicentur, se melioratione non vsuros. Idem dicendum de promissione alicuius donationis faciendæ ab alio ratione huius matrimonij, prædicta tamen remissio valebit in remittentis præiudicium, *lib. 6. tota disp. 32.*

2 Recipiens fictè patrimonium, vt ad ordines promouetur, data antapocha, aut fidei reddendi, cum promotus fuerit, tenetur id patrimonium restituere, *lib. 6. disputat. 32. num. 8.*

3 Melioratio causa dotis, valet in Castella in foro conscientiarum, nec restituenda est, *lib. 6. disp. 33. nu. 3.*

Mensis.

1 Quando lex, vel statutum concedens mensem, disponit, à quo tempore mensis incipiat, vt à die electionis, vel à die per iudicem designanda, accipitur mensis secundum quod occurrit in Calendario, & quod ex illo mense defuit, accipitur de sequenti de momento ad momentum. Et si dies bisextus contingat in eo mense, illi duo dies pro vno computantur in favorabilibus; secus in odiosis. Quando verò ius, vel dispositio non exprimit à quo tempore mensis incipiat, tunc computatis omnibus anni diebus, accipienda est duodecima anni pars pro quolibet mense. Vnde bimestre

con-

concessum ad deliberandum de ingressu religionis, computabitur eo modo, quo tunc occurrit in Calendario, *lib. 2. disput. 24. à nu. 14. vsque ad 21.*

2 Indulgentia concessa per vnum mensem, quando non exprimitur à quo tempore incipiat, tunc computatis omnibus anni diebus, accipienda duodecima anni pars pro mense, *lib. 2. disp. 24. nu. 20.*

Metus.

1 Metus diffinitur in communi sic. Est instantis periculi, vel futuri causa, mentis trepidatio. Diuiditur in metum inconcussuum, & impressuum, suspensionis violentæ; seu in compulsuum potentia, & in metum reuerentialem, & in metum perfidia. Vltimò diuiditur in metum cadentem in constantem virum, & inconstantem, *lib. 4. disp. 1. à nu. 7. vsque ad 9.*

2 Quinque cõditiones requiruntur ad metum cadentem in constantem virum. Prima est, vt malum, quod timetur, sit graue. Secunda, vt timens rationabiliter credat, malum sibi imminere. Tertia, vt metum incuriens potes sit minas executioni mandare. Quarta, quod metum incuriens minas exequi solitus sit. Quinta est, vt timens non possit facile occurrere malis, quæ timentur implorando alicuius auxilium, *lib. 4. disp. 1. à n. 10. vsque ad 23.*

3 Requiritur electio minoris mali, vt ex parte subiecti dicatur metus cadens in virum constantem, vt timens cõstanter agat, culpeque

immunis sit. Non tamen requiritur, vt dicatur cadere in constantem virum quoad rescissio-
nem matrim. & aliorum contractuum, sed sa-
tis est ad id, si timor ipse ex parte obiecti sit ca-
dens in virum constantem, *lib. 4. disp. 2. num.*
1. 2. & 3.

4. Metus cadens in virum constantem, di-
citur respectiuè, & metus qui respectu vnus
est cadens in virum constantem, non est talis
respectu alterius. Vnde minor metus deside-
ratur in fœmina, quàm in viro. Et ad irritandũ
matrim. fœminæ satis est metus cadens in cõ-
stantem fœminam, & non tantum in fœminã
respectu viri, sed etiam inter ipsos viros, vt di-
catur talis metus consideranda est ætas, & in-
nata animi fortitudo, *lib. 4. tota disp. 3.*

5. Vt dicatur metus cadens in constantẽ vi-
rum, sufficit quod mala timeantur in persona
filiorum respectu patris, & in persona patris
respectu filij, & in persona vxoris respectu vi-
ri, & vice versa, Idem dicendum de metu incul-
so ascendentibus respectu descendentium,
fratri respectu alterius fratris, consanguineo
intra quartum gradum respectu alterius con-
sanguinei. Idem dicendum de metu illato per-
sonæ arctissima amicitia coniunctæ contra-
henti, siue quando infertur alicuius domesti-
co, vt ille contrahat. Similiter quando incuti-
tur affinibus extra quartum gradum, proue-
nente affinitate ex matrimonio, Secus quan-
do ex fornicatione, *lib. 4. tota disp. 4.*

6 Facta metu quantumcumque graui sunt simpliciter, & absolutè voluntaria, & libera. Et quæ metu extorquentur, magis accedunt cōsentaneis, dicunturque simpliciter voluntaria, & secundum quid inuoluntaria. Et quantumcumque sit grauis metus, non excusat à culpa in his, quæ intrinsecè sunt mala, veniali quidè, si alias secluso metu esset veniale, & mortali, si secluso metu, esset mortale, *lib. 4. disp. 1. num. 3. 4. 5. & 6.*

7 Quis metus cadat in virum constantem, relinquitur iudicis arbitrio, etiam in foro interno arbitrio prudentis. Quod arbitriū non datur circa ea mala, quæ iure constat esse sufficientia ad metum viri constantis; arbitria enim data sunt in his, quæ sub regula comprehendere nequeunt. Et hoc arbitrium non est correctū iure Regio Castellæ, *lib. 4. disputar. 5. num. 1. 2. & 3.*

8 Metus cadens in constantem virum est metus mortis, mutilationis, grauis cruciatus corporis, grauiumque verberum, armorum; licet portans arma ijs non vtatur. Item metus seruitutis, amittendi instrumenta, quibus libertas probanda est, captiuitatis, grauis exilij, carceris, licet non perpetui. Item metus amissionis status, honoris, verberum, stupri tam in viro, quàm in fœmina, quamuis vidua honesta, & inhonesta sit. Metus infamix iuris, aut facti, cui non facile occurri potest. Itē metus excommunicationis iniustæ, quādo facile ei

occurri non potest. Secus de iusta. Item metus amissionis maioris partis bonorum, etiam modicorum, sed non valde exiguorum. Quod intellige circa maiorem partem, quando sine illa sustentare vitam minime possit metū passus. Secus, si possit sine illa. Itē metus amissionis rei magnæ; vel notabilis, instrumentorum tōtius, vel maioris partis patrimonij, amissionis magni lucri, quando metum passus per iniuriam arcetur à lucro, ad quod habebat ius, ut si loquamur de metu impediendi aliquem, ac se opponat beneficio, *lib. 4. tota disp. 5.*

9 Solus metus reuerentialis, nisi minæ, aut verbera, aut alius metus grauis illi adiūgatur, nō cadit in virum constantem; ac proinde nec annullat matrimonium, nec alios contractus rescindit. Annullabit tamen solus sine minis, quando filius, vel vxor est valde patris, vel mariti præcepti obtemperans. Item quando pater nimis crudelis est, quamuis minas non conijciat. Item vultus terribilis potētis incurrit metum in const. virum sine minis, *lib. 4. disp. 6. n. 4. vsque ad 13.*

10 Matrimonium contractum à filia timore, ne patris indignationem incurrat, nullis præcedētibus minis est validum, nisi metus sit indignationem fore diurnam, & semper se habituram patrem, aut virum valde infestum, & indignatum, obiecturumq; passim illam inobedientiam, *lib. 4. disp. 6. n. 14.*

11 Solus metus reuerentialis, quādo interue-

nit

nit enormis læsio, vt si sit magna disparitas, factus est ad rescindendos alios contractus; non tamen ad annullandum matrimonium, *l. 4. disp. 6. nu. 15.*

12 In metu reuerentiali etiam desideratur ad annullandum matrimonium, vt minas sollicitus sit minas exequi, & quando dubium fuerit de sua conditione, an solitus sit minas executioni mandare, dicendum est, incutere iustum metum, *lib. 4. disputation. 6. numer. 21. & 22.*

13 Metus reuerentialis datur in eo, qui iure aliquo subiectionis alteri subest, vt in clerico respectu Episcopi, in sæculari respectu magistratus, in vxore respectu viri, in filio respectu patris, socii, ani, curatoris, & matris, si fuerit crudelis, & solita minas exequi. Datur etiam in sorore respectu fratris maioris natu, & in fratre respectu fratris maioris, & in sorore minori habitante cum sorore maiori, & in patrueli respectu patrui, quando patruelis est in domo patrui, & sub eius gubernatione, *lib. 4. disp. 6. à nu. 24. vsq. ad 34.*

14 Metus reuerentialis sine minis annullat consensum tacitum, qui resultat ex præsentia cum taciturnitate, quando est actus præiudicialis. Secus, si fauorabilis, *lib. 4. disp. 6. nu. 37. & 39.*

15 Preces importunæ instantissimè, & sæpius repetitæ vnâ cum metu reuerentiali, vt si sint personæ, quibus debetur reuerentia, incutiunt

tiunt metum in constantem virum. Secus de precibus principis non soliti tyrannicè tractare. Eadem dubio non præsumitur consuetudo malè tractandi, *libro. 4. dissertation. 7. numero. 7. & 8.*

16 Contractus metu iniiti non sunt ipso iure nulli, sed valent; sunt tamen rescindendi actione, quod metus causa, & per illos transfertur dominium. In aliquibus tamen casibus, sunt ipso iure nulli, quos non explicat Doctor, sed citat varia loca, ubi videri possunt, *lib. 4. tota disp. 8.*

17 Quoties metus non est incussus ad extorquendum matrimonium, siue proveniat à causa naturali, siue libera, quantumvis gravissimus sit, non reddit irritum matrimonium. Unde inferuntur aliqui casus, in quibus matrimonium est validum, ut matrimonium contractum metu presentaneæ mortis ex morbo, naufragio, &c. Item si contrahat aliquis, medicis dicentibus, se obiturum, ni ducat uxorem propter humoris abundantiam. Item si detrusus in carcerem contrahat, si non ad eum detrusus sit. Item matrimonium captivi apud hostes, siue per se, siue per procuratorem. Item, quando morte dānatus eligit ducere meretricem, ut mortem evadat. Idem si alius ei offerat immunitatem, si talē feminā ducat. Item, si iudex capto siue iuste siue iniuste damnato, mortemque timentī, vitam condonet, si ducat iudicis ipsius filiam, alioquin ei mortis poenam minatur. Item firmum est matrimonium

timonium, si homicidæ damnando ad mortem remittant con sanguinei crimen, dum modo filiã occisi ducat. Item firma est professio, si vir remittat adulterium vxori, si profiteatur in religione. Item firmum est matrimonium, si Princeps obsessus offerat obsidẽti filiam in vxorem, si obsidionem soluat: nisi alter eo sine obsidisset. Item si parentes, aut con sanguinei interficere vellent in stupro inuentum, & ipse sua sponte, & à nemine coactus offerat matrimonium, vt mortem vitet. Item firmissimum est matrimonium ægri lethali morbo oppressi cum filia medici initum, nolentis aliter ipse mederi, *lib. 4. disputat. 12. à numer. 3. vsque ad 5.*

18 Matrimonium contractum metu cadenti in const. virum ad eum finem iniuste incussõ, est nullum in vtroque foro; licet sit incussõ à quocumque absque contrahentis culpa: & licet cogatur contrahere cum incerta de certis, & sit contractum coram amicis, & con sanguineis. Et etiam est nulla constitutio procuratoris facta. Et dotis promissio est ipso iure nulla. Et solutio metu facta. Et contractus dotis non solum redditur nullus, sed distractus, & quamuis dotis promissio metu facta sit nulla, cogenda est mulier iterum dotem constituere, quando censetur promittere. Secus, si non censetur dotem promittere, nisi vir inciusus esset metus, *lib. 4. disp. 12. à num. 16. vsque ad 24.*

19 Metus cadens in const. virū iustè illatus non viciat matrimonium. Viciat tamē promissionem dotis. Vnde matrimonium est validum, quando iudex cogit aliquem ad contrahendum, præcedentibus sponsalibus, & datâ fide de matrimonio. Secus si non erat data fides contrahendi, *l. 6. tota disp. 13.*

20 Metus cadens in const. virum viciat, matrimonium iure tantum Ecclesiastico, reddendo personas inhabiles: tamen remoto metu possunt liberè contrahere. Attamen matrimonium infidelium contractum cum tali metu, est validum, nisi sit apud illos aliqua lex irritans. *lib. 4. tota disp. 14.*

21 Matrimonium celebratum metu est ita irritum, vt etiam cogenti liceat resilire, altero inuito, *lib. 4. tota disp. 15.*

22 Contrahens matrimonium per merum cadentem in virum constantem, fictè profertens verba æquiuoca, vel materialia, non peccat. Et contrahens non vrendo tali modo, peccat solum venialiter. Etiam non peccat, qui contrahit eodem metu verè, licet intercedat iuramentum, *l. 4. tota disp. 16.*

23 Metus leuis tantum non irritat matrimonium, nisi stando in opinione, quæ affirmat matrimonium contractum per metum cadentem in virum constantem, esse irritum iure naturæ, *l. 4. tota disp. 18.*

24 Matrimonium metu inritum ratificatur copula spontaneâ, vel metu leui extorta, non graui:

gravi: & tenetur potius mortem pati, quam coactus consummare. Item ratificatur diuturna habitatio spontanea absque copula. Exigitur tamen, ut ratificans sciat fuisse nullum matrimonium, & ea copula ratificari. Et habitatio diuturna iudicanda est talis morali modo arbitrio prudentis. Et requiritur, quod illa habitatio sit omnino spontanea. Nec est talis, dum non cessauit causa metus: & censetur durare, dum durat subiectio timorem incutienti: & exigitur, ut una cum causa metus cessarint impedimenta, quibus metum passus impeditur, ne possit reclamare. Et ut actus exterior inducat metus purgationem, censeturque spontaneus, desideratur, ut omni ex parte significet liberam, & spontaneam voluntatem. Et non purgatur, quando aliquis soluit sponte illud, quod promiserat cum iuramento per metum. Item ratificatur matrimonium metu contractum per alios actus spontaneos, per quos ante Trid. sponsalia transibant in matrim. Et hæc sunt vera etiam post illud. Ratificatur etiam tale matrimonium per copulam spontaneam post matrimonium consummatum metu, *libro. 4. tota disp. 18.*

25. Metus cadens in const. virum annullat ipso iure sponsalia. Et metus illatus post illa inita non irritat: dat tamen iustam causam dissoluedi illa: Et metus levis non irritat illa. Et potest tamen metum passus propria auctoritate ab illis rescire, *l. 4. tota disp. 19.*

Minor.

Minor.

1 Pubes dicitur masculus post 14. annos completos, foemina vero post 12. & ante hanc aetatem puer dicitur impubes, seu pupillus, foemina autem pupilla: minor vero dicitur tam masculus, quam foemina post pubertatem usque ad 15. annum completum. Approximare autem pubertati in hac materia dicitur puer decimum annum cum dimidio excedens, & foemina cum excedit nonum, & dimidium, *l. 6. disp. 38. nu. 2.*

2 Minor habens curatorem, & contrahens cum eius licentia, obligatur naturaliter, & civiliter. Absque eius tamen licentia non civiliter. Si autem careat, curatore, naturaliter, & civiliter obligatur: licet, si le datur, possit beneficium restitutionis implorare, *lib. 6. disp. 38. nu. 4.*

3 Pupillus proximus pubertati, auctoritate tutoris contrahens obligatur naturaliter, & civiliter, secus, quando non est proximus pubertati, *l. 6. disp. 38. nu. 5.*

4 Minor, vel pupillus non obligatur etiam auctoritate tutoris civiliter in alienatione rerum immobilium, quae servando servari possunt, nisi adsit iudicis decretum. Idem si curatorem non habeat, *l. 6. disp. 38. nu. 6.*

5 Minor, vel pupillus habens tutorem, vel curatorem, contrahens sine eius auctoritate, obligatur naturaliter, & civiliter, si factus sit locupletior, *l. 6. disp. 38. nu. 7.*

6 Mi-

6 Minor pubes carens tutore obligatur
civiliter ex cont. acty: secus, si fuerit impubes,
lib. 6. disp. 38. nu. 8.

7 Contractus minoris, aut pupilli sine au-
thoritate tutoris, vel curatoris gestus valet in
eius utilitatem, estque in eius opinione stare
contractus *lib. 6. disp. 38. nu. 9.*

8 Minor absq; curatoris autoritate, quan-
do illum habet, non potest constituere ma-
ioratum, nisi eam iuramentum suppleat, *lib. 6.
disp. 38. nu. 9.*

9 Quamuis minor autoritate curatoris
contrahat, si læsus sit, potest petere restitutio-
nem. Dicitur autem læsus, quando minor facit
actum, ex quo nulla sibi utilitas sequi potest
sed damnum, *libro. 6. disputation. 38. numer. 11.
& 12.*

10 Minor pubes factus, si iurat contractum
onerosum, vel lucratiuum, firmatur iuramen-
to, teneturque illi in utroque foro stare: nec
competit ei restitutio, quamuis lædatur, licet
sine autoritate curatoris, & iudicis decreto
alienet immobilia, & licet iuret per procu-
ratorem; siue in ipso contractu, siue ante, siue
post, *lib. 6. disp. 38. num. 13.* Et ut firmetur con-
tractus iuramento, requiritur in iurante mi-
nori pubertas, & si fuerit minor impubes licet
iuramentum non firmet contractum, obliga-
bit, donec relaxetur. Immo & pater, & curator
potest illud irritare, *libr. 9. disp. 38. num. 13. 16.
& 17.*

11 Pupillus, aut minor contrahens sine curatoris, aut tutoris auctoritate, obligatur naturaliter, & in foro conscientiae ex contractu, licet non sit factus ditior, & tutore careat. Secus, quando pupillus est infans, aut infantiae proximus, vel quando promissio facta est de rebus, quarum alienatio est interdicta minori absque iudicis decreto, licet habeat auctoritatem tutoris, vel quando pupillo, vel adulto ex aliqua causa iudex interdixit administrationem. Ex mutuo tamen naturaliter pupillus obligatur, *lib. 4. disp. 38. à num. 21. vsque ad 28.*

12 Pupillus cum ipso tutore contrahens naturaliter non obligatur ex contractu, nisi altero tutore auctore ei obligetur, & pupillus factus sit ditior, aut dolum committat, *lib. 6. disp. 38. nu. 25.*

13 Minor non potest occultâ compensatione uti, quando non potest absque magnis expensis petere coram iudice restitutionem, nisi quando talis esset læsio, ut alter citra omne dubium teneretur in foro conscientiae restituere ante omnem iudicis sententiam, & casu quo potest beneficium restitutionis implorare, potest tutâ conscientiam non solvere, nec stare contractui, *lib. 6. disputat. 38. numer. 32. & 34.*

14 Minor reputatur maior in spiritualibus, & in alijs, in quibus talis reputatur ad eum effectum, ut possit absque curatore agere, & possit

possit absque alio matrimonium inire, ac profiteri. Non tamen ad eum effectum, ne latus circa hæc, quando reuocari possunt, reclamare possit beneficium restitutionis petens, l. 7. disp. 37. nu. 29.

N

Nouitiatus.

1 **N**ouitiatus est repetendus à transeunti ab vna religione ad aliam. lib. 7. disp. 37. nu. 47.

2 Siue nouitiatus sit irritus, siue validus, nulla ipsius iteratione opus est ad professionem irritam ratam habendam: licet nullitas professionis, & nouitiatus publica sit, ob professi inhabilitatem, lib. 7. disp. 37. à num. 45. vsq; ad 48.

3 Nouitiatus inchoatus post pubertatem, & impletus ante decimum sextum annum est validus, l. 7. disp. 37. nu. 49.

4 Quando professio fuit nulla defectu nō premittæ informationis à Sixto Quinto, quando maior sexdecim annis profiteretur, & in nouitium ingreditur, non irritatur nouitiatus, etiam quando illegitimi non ex sacrilego, aut incestuoso concubitu nati, recepti sunt, non præmittæ dictæ informatione. Est tamen irritus, si ex incestuoso, vel sacrilego nati sunt, sed non repetendus, lib. 7. disputat. 37. numer. 54 & 55.

5 Annus nouitiatus non exigitur in religio-